



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Interdicti causæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

mini, aut diocesis; quia alioqui parvi penderetur interdictum; propterea etiam, interdicta aliqua civitate per interdictum locale generale, censentur etiam interdicta religionum Ecclesiarum, quae alias sunt exemptae, tenenturque religioni huiusmodi interdictum servare, nec possunt uti privilegiis sibi concessis ante Concil. Trident. *Ib. n. 23. & seq.*

13. Interdicta Ecclesia, intelliguntur etiam interdicta capellae & coemeterium, quia sunt unum corpus cum Ecclesia. *Ibid. num. 26.*

14. Interdictum latum generaliter contra terras alicujus Principis, cadit in omnes terras ejusdem Principis, quas possidet tempore lati interdicti, quia verba generalia sunt generaliter intelligenda. *Ibid. num. 27.*

15. Judex qui aliquem locum interdixit, tenetur abstinere ab officiis persolvendis in eo loco quem interdixit, quod si interdictum sit personale, non includitur ipse in tali interdicto, non enim potest seipsum interdicere. *Ibid. num. 28.*

Causa interdicti.

16. Causa efficiens interdicti, à qua scilicet interdictum fieri potest, est illa eadem quae potest alias censuras ferre: par enim est omnium ratio. *Ibid. punct. 2. num. 1.*

17. Papa potest interdictum ferre; Episcopus etiam nunc sine consensu Capituli; Praelati religionum (si loquamur de interdicto personali,) & Capitulum Sede vacante. *Ib. n. 2.*

18. Subiectum interdicti personalis sunt homines, in quos jurisdictionem externam spiritualem exercere potest is qui fert interdictum. *Ibid. num. 3.*

19. Causa materialis interdicti est culpa, quia interdictum est poena spiritualis, poena autem supponit culpam. *Ibid. num. 5.*

20. Causa finalis interdicti est resipiscentia & emendatio delinquentis. *Ibid. num. 6.*

Effectus interdicti.

21. Tres nunc sunt effectus interdicti: privatio aliquorum sacramentorum, privatio divinatorum officiorum, & privatio sepulturae Ecclesiasticae; jure antiquo plures erant effectus. *Ibid. punct. 3. n. 1. & 2.*

V 5

22. Tem-